

ibi fingamus, ubi et sensus et ratio distinctionem ac multiplicitatem deprehendit. Plura de his videri possunt apud Rev. Rubbini et cl. Zanon in superius laudatis operibus.

ARTICULUS II.

An et quomodo corpora producere possint non solum accidentia, sed etiam substantias corporeas.

351. Ex probatis in præcedenti articulo concludendum est dari multiplicem activitatem in corporibus, quæ non solum locales motus, verum etiam alias multas actiones peragere queat secundum eam phenomenorum varietatem, quam sensus referunt in natura. Activitates istæ aliæ sunt naturales, quæ ab essentia rei profluunt tamquam proprietates, ut v. g. calor ignis; aliæ contingenter adveniunt, ut impetus extrinsecus impressus corporibus, illaque ad motum urgens, et idem calor existens in aqua calefacta. Aliæ sunt mechanicæ, aliæ physicæ, prout nempe vel solum motum localem, vel alios quoque effectus producere valent. Verum hæc et alia virium et activitatum genera, quæ et ex observatione naturæ et ex superius dictis circa qualitatis divisiones facile colligi possunt, singillatim persequi necesse non est. Illud vero nunc occurrit dubium, quanta sit, vel quousque protendatur corporum activitas? Possuntne corpora etiam novas gignere corporeas substantias, an solum alterare ac mutare accidentaliter existentes?

Negant communiter Physici, quibus tota corporum activitas solo motu locali absolvitur, ideoque productio substantialis a corporibus peracta magnam admirationem affert, et instar creationis, atque adeo instar miraculi cujusdam, habetur. Quod si atomistæ aliquando loquuntur de novis substantiis, quæ ex activitate corporum enascantur, negant tamen agentia naturalia ullam novam simpliciter substantiam producere, sed tantum secundum quid; quia nempe vel materiam varie densando, vel atomos diversimode ordinando et coagmentando, variisve motibus aut motuum velocitate donando, atque adeo mutationes mere accidentales

Varie
activitates
in corporibus
existentes.

Negant
communiter
atomistæ
corporibus
activitatem novas
substantias
corporeas
gignendi;

inducendo, prout alibi fuse declaratum est (1), diversarum substantiarum syntheses atque analyses perficiunt, in quibus nulla veri nominis mutatio substantialis locum habeat, sed tantum simplicium corporum in suo actu permanentium congeries vel conglobatio, vel hujusmodi conglobationum dissolutio (2). Verum communis pariter doctrina Scholasticorum affirmat corpoream efficacitatem ad novorum corporum productionem pertingere. Modus porro, secundum quem corpora novas generant substantias ille est, quem ipsa experientia demonstrat, ut prius agendo in alia corpora alterent illa in suis qualitibus, et sic materiam disponant ad novæ formæ introductionem, in qua sita est novi corporis generatio. Unde hanc novi corporis generationem comitatur destructio et corruptio alterius. Non parum autem controvertitur inter Scholasticos, utrum alteratio a generatione re distinguatur, ut jam videbimus.

352. PROPOSITIO 1.^A Asserenda est corporibus activitas, qua novas substantias per generationem simpliciter dictam producere valeant.

Probatur. Ut in prima hujus libri disputatione demonstratum est, dantur in natura veræ mutationes substantiales, novæque passim generantur substantiæ corporeæ. Atqui mutationum istarum generationumque substantialium ipsa corpora sunt efficientes causæ. Ergo...

Minor probatur. Nam ipsa experientia compertum est, ex quorundam corporum actione consequi nova diversæ speciei corpora, ut cum ignis comburit lignum, et oxygenium et hydrogenium pariunt aquam, etc. In his certe aliisque id genus exemplis, nisi velimus occasionalismum amplecti, necesse est corporibus in generatione novæ substantiæ causalitatem aliquam efficientem tribuere. Quod vero non qualicumque efficientia tribuenda sit, sed efficientia, quæ ipsam integritatem novæ substantiæ attingat, ex eo persuadetur, quod in ejusmodi generationibus solas causas

asserunt
communiter pariter
consensu
Scholastici:

quorum
sententia
probatur.

(1) Vide supra num. 130.

(2) Vide v. g. P. Tongiorgium, *Cosmolog.* num. 41, 3.^o 66 seqq. et 197.

naturales intervenire sentiamus, nec sit ulla ratio ad altiores causas confugiendi. Sane effectiones novarum substantiarum, prout passim fieri videmus, non sunt creationes, nam fiunt ex præsupposito subjecto et per actiones exercitas circa materiam: deinde terminus earum est finitus ac limitatus, nempe substantia composita. Ergo effectiones illæ neque ex parte termini neque ex parte modi, quo peraguntur, quidpiam continent, quod cum corporea activitate proportionem non servet, vel eam superet, atque adeo causalitatem vel superiorum aliarum causarum, vel Dei solius, obtrudendam adigat (1). Ergo ipsa corpora, suis naturalibus viribus adjuncta (2), dicenda sunt novas substantias gignere.

Rem egregie, ut solet, illustrat S. Thomas: *Apparet per inductionem in omnibus, quod simile agat sum simile. Id autem quod generatur in rebus inferioribus, non est forma tantum, sed compositum ex materia et forma. Nam omnis generatio ex aliquo est, scilicet ex materia, et ad aliquid, scilicet ad formam. Oportet ergo, quod generans non sit forma tantum, sed compositum ex materia et forma. Non igitur species rerum separatarum, ut Platonici posuerunt, neque intelligentia agens, ut posuit Avicenna, est causa formarum, quæ sunt in materiis, sed magis hoc compositum ex materia et forma* (3).

Cæterum corpora novas substantias gignunt versando materiam, ex ejusque potentia educendo novam formam substantialem. Quare id, quod proprie ac per se fit, non est ipsa forma, sed compositum, quemadmodum jam alias

(1) Quare rejiciendæ sunt obsoletæ quædam veterum doctrinæ circa novarum substantiarum generationem, quas S. Thomas refert (*de Potent.*, quæst. 3, art. 8, et *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 60); Plato nempe posuit formas substantiales effici ab agente quodam supernaturali, quod datorem formarum esse finxit; Avicenna vero posuit istud agens esse ultimam inter substantias separatas vel angelos; alii Deum ipsum; Avicem denique in suo libro *Fontis vitæ* putavit corpora nihil agere, sed virtutem substantiæ spiritualis per corpora pertransientem efficere actiones, quæ per corpora fieri videntur. (Vide S. Thom. locis citatis).

(2) Qua de re possunt recolli superius scripta num. 137, *Objic.* 1.^o, *Inst.* 2.^o, 3.^o et 4.^o, pag. 485.

(3) S. Thom., *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 69, paragr. *Item apparet, et Item, si agere.*

dictum est (1). Unde in generatione novæ substantiæ tria occurrunt:eductio formæ substantialis de materiæ potentia, si sermo sit de forma materiali, ejusdem unio cum materia, et productio novi compositi; quæ tria, supposita sententia negante eductionem formæ ab ejus unione cum materia distingui, quam probabiliorem esse superius significavimus (2), unum idemque sunt re, ac solum ratione distinguuntur. Cum enim compositum naturale non distinguatur a partibus unitis, eo ipso quod forma uniatur materiæ, adest jam nova substantia; forma vero unitur eo ipso, quod educitur de potentia materiæ. Distinguuntur autem ratione, quia generatio respicit totum compositum, eductio formam prout dependentem a materia, unio denique et materiam et formam secundum mutuum vinculum. Et hæc quidem valent de generatione omnium compositorum præter hominem. Nam in generatione hominis forma, quæ immaterialis est, creatur a Deo, ut probabitur in *Psychologia*, ideoque deest eductio formæ, nec potest generatio pertingere nisi ad unionem illius cum materia, atque adeo ad naturam humanam (3).

Itaque definiri potest hujusmodi generatio in universum: *productio substantiæ ex præsupposito subjecto*, ac differt tum a creatione, quæ caret subjecto, tum ab illa generatione strictius sumpta propriæque viventium, quæ in *Psychologia* describenda erit (4).

353. Dices 1.^o Natura corporea, ut patet experientia, aliud revera nequit agere, nisi materiam varie immutare, ac modificare. Atqui ejusmodi modificatio ad summum continet formæ alicujus accidentalis productionem. Ergo.

(1) Vide supra num. 136, 4.^o pag. 507. Non tamen convenit inter AA., utrum terminus qui primarius et immediatus sit compositum præcise ex materia et forma, ut vult Rubius (*de Gener. et corrupt.*, lib. 1, cap. 4, tract. 1.^o, num. 41), an vero potius compositum ex natura et supposito, ut contendunt Complutenses (*de Gener. et corrupt.* disp. 2, quæst. 3).

(2) Vide supra num. 173.

(3) Cfr. Rubius, *de Gener. et Corrupt.* lib. 1, cap. 3 et 4, tract. 1, quæst. 3, num. 34.

(4) Vide apud Lossada (*de Gener. et Corrupt.* disp. 1, cap. 1) aliosque veteres Auctores alias generationis definitiones sapienter expensas.

Definitio
generationis
id universum.

Quædam
difficultates
solutæ.

Resp. dist. Major. Immutatione sive accidentali sive substantiali, *conc.*; sola immutatione accidentali, *neg.* Vide S. Thomam in quaestione 3.^a de *Potentia* (1); et recole quæ in primo capite circa mutationes substantiales scripsimus.

Dices 2.^o Corpora in mutationibus naturalibus non agunt nisi per calorem, electricitatem cæterasque vires, quæ substantiales non sunt, sed accidentales. Atqui virtutes accidentales substantiale quidquam producere nequeunt. Ergo nulla forma substantialis potest a causis naturalibus venire in existentiam.

Resp. dist. Major. Ita ut calor et reliquæ vires sint tantummodo instrumenta formæ substantialis, quæ est causa principaliter operans, *conc.*; aliter, *neg.* Nihil ergo mirum, si accidentia prout sunt instrumenta substantiæ principaliter operantis possint etiam ad substantialem productionem concurrere (2). Utrum autem ipsa substantia per se ipsam immediate aliquid opereretur instar virtutis et activitatis a viribus accidentalibus distinctæ, controversitur, ut inferius dicemus.

Dices 3.^o Omne agens agit sibi simile. Atqui inter formas elementorum, quæ ex mixti corruptione resultant, formamque mixti, quæ intereuntibus elementorum formis succedit, et causas naturales in ejusmodi effectus influentes nulla datur similitudo. Ergo.

Resp. dist. Major. Omne agens univocum, *conc.*; æquivocum vel analogum, *neg.*, vel *subdist.*: agit sibi simile formaliter, *neg.* virtualiter, *conc.*

Contradist. Minor. Nulla est similitudo saltem virtualis inter illas causas et effectus, *neg.*: *formalis*, *subdist.*; quia non sunt causæ univocæ, *conc.*; secus, *neg.* Si objectum principium esset intelligendum de formali et adæquata similitudine, Deus nihil posset efficere, cum nullum possit habere univocum effectum. Sed jam in *Ontologia* declaratum manet, quo pacto agens agat sibi simile (3). Corpora itaque quædam producunt effectus ejusdem speciei, ut viventia,

(1) Art. 17., ad 9.^{um}

(2) Vide Suarez, disp. *Met.* 18, sect. 2.

(3) Vide *Ontolog.* num. 390, *Axioma* 4.^{um}, pag. 1114.

quædam vero habent effectus non specificè, sed genericè, similes, prout experientia testatur.

Dices 4.^o Angeli longe majorem entibus inferioribus habent perfectionem et virtutem activam. Atqui tamen substantias producere nequeunt. Ergo multo minus aliæ causæ naturales.

Resp. Concessa prima parte Majoris, alteram *distinguo*. Angeli majorem habent virtutem activam, quantum attinet vim corpora movendi localiter, *conc.*; quantum attinet vim productivam aliarum substantiarum, *neg.* *Transmitto* Minor., et *neg.* conseq. Communis Theologorum sententia, quam nos hic supponimus, est angelorum virtutem usque ad substantiarum productionem nutu suo paragenda minime assurgere. Diximus *nutu suo*, quia concedunt Auctores spiritibus potestatem movendi corpora loco, et sic activa passivis applicandi, ut exinde transmutationes substantiales consequantur. *Id quod potest virtus inferior*, inquit Angelicus, *potest superior, non eodem, sed excellentiori modo; sicut intellectus cognoscit sensibilia excellentiori modo, quam sensus. Et sic angelus excellentiori modo transmutat materiam corporalem, quam agentia corporalia, scilicet movendo ipsa agentia corporalia tamquam causa superior* (1). Neque vero putes ex majori angelorum entitativa perfectione necessario sequi, tribuendam ipsis esse virtutem atque activitatem immediate efficiendi, quidquid causæ inferiores ex viribus natura sibi insitis præstare possunt. Hæc enim collectio, quemadmodum argumentatur Suarezius (2), necessario supponit universale illud principium, videlicet omne ens inferioris perfectionis in alio perfectiori eminenter contineri, a quo possit etiam per se atque immediate educi e potentia materiæ. Quod principium

(1) 1 p., quaest. 110, art. 2 ad 2.^{um} Cfr. 1 p., quaest. 65, art. 4.

Audi etiam Eximium Doctorem, disp. *Metaph.* 35, sect. 6, n. 17. "At vero mediante motu locali habere possunt intelligentiæ aliquam causalitatem in res corporeas... secundo, applicando activa passivis; seclusa enim virtute ad per se alterandum vel generandum corpora, hoc tantum modo possunt rerum generationes et corruptiones procurare aut etiam impedire..."

(2) Suar. de *Angelis*, lib. 4, c. 25, n. 6. Cf. eundem doctissimum scriptorem, disp. *Met.* 18, sect. 1, n. 16; et disp. 35, tota sect. 6.

manifestæ contradicit experientiæ, nos quotidie docenti in-
numeros existere effectus a causis naturalibus immediate et
per se fluentes, quos homo, licet longe excellentiori donatus
natura, aut nullo modo possit obtinere, aut nonnisi arte et
mediante applicatione illarummet causarum.

354. PROPOSITIO 2.^a Generationem, qua corpus novam
producit substantiam, præcedit alteratio, realiter a gene-
ratione distincta, per quam materia disponitur ad novam
formam suscipiendam.

Generationem
novæ substantiæ
præcedit
alteratio,

Prima pars, quæ respicit existentiam alterationis in ge-
nerationibus novarum substantiarum, patet experientia; quæ
passim demonstrat in substantialibus mutationibus, quarum
terminus est nova forma substantialis, atque adeo novum
corpus, prius intervenire alterationes, quibus qualitates cor-
poris veteris mutantur, donec nova existat substantia. Hinc
autem facile reddi potest ratio hujusce rei. Cum enim quæ-
vis forma suas proprias dispositiones requirat in materia,
nequit agens novam formam in materiam alia forma actua-
tam inducere, quin prius ad illam recipiendam convenienter
disponat. Atqui novæ formæ inducendæ consentaneæ dis-
positiones induci nequeunt nisi ope alterationis. Ergo alte-
ratio generationem novæ substantiæ præcedat, oportet.

quæ realiter
ab illa
distinguitur.
Variæ
de hac re
sententiæ:

Secunda pars propositionis continet controversiam inter
Scholasticos agitatam circa distinctionem alterationis a ge-
neratione. Plures namque Thomistæ putant «generationem
substantialem non esse actionem realiter distinctam a tota
præcænti alteratione, sed terminum ejus:» hoc enim ipso quod
per alterationem inducuntur in materia dispositiones ad novam
formam, *absque ulla nova vel distincta actione per natu-
ralem resullantiam* subsequi formam ex vi præcise illius
actionis alterativæ. Ita rem explicant Complutenses (1);
quare, ut addit Goudin (2), generatio est terminus et con-
summatio alterationis. Actio enim si in solis accidentalibus

(1) Complutenses (*Physicor.* disp. 10 quæst. 6, num. 68, 69, et
de Gener. et Corrupt. disp. 2 quæst. 2.). Cfr. Conimbricenses (*de
Gener. et Corrupt.* cap. 4, quæst. 12, art. 1).

(2) *De Gener. et Corrupt.* disp. unic. quæst. 1, art. 1.

mutationibus sistat, vocatur alteratio; eadem autem actio
alterativa cum ad terminum usque substantialem pertingit,
nomen sortitur generationis, quin tamen in generatione sub-
stantiali distingui re vera debeat duplex actio, altera quæ ad
qualitates, altera quæ ad formam substantialem terminetur.
Pro hac sententia laudant Complutenses Cajetanum (1) Fon-
secam (2), et quosdam alios, eamque communem esse
scribunt inter juniores Thomistas. Multum autem dubito,
utrum id vere dici possit. Nam Dominicus Sotus (3), quem
pro se laudant Complutenses, potius oppositum videtur
docere. Goudinus vero fateri cogitur contrarium a *pleris-
que Thomistis* doceri; demum Joannes a S. Thoma (4) et
Card. Aguirre (5), oppositam sententiam recise tuentur.
Est ergo secunda opinio longe communior in omni Schola,
substantialem generationem ab alteratione realiter distin-
guens. Eam docuerunt ex antiquioribus Alexander Halensis,
Henricus Gaudavensis, Scotus et Capreolus, post Simplicium,
Averroem aliosque Aristotelis interpretes (6), quos postea
secuti sunt Scotistæ (7), multique Thomistæ, ac nominatim
laudati Joannes a S. Thoma et Cardin. Aguirre; e nostra vero
Societate præter Conimbricenses Suarez (8), Rubius (9), Car-
din. Toletus (10), Oviedus (11), Hurtadus (12), De Benedi-
ctis (13), Lossada (14) aliique, quos referre nominatim necesse
non est. S. Thomam utraque sententia suum omnino vult

(1) In 1.^{am} part. quæst. 54, art. 3.

(2) *Metaphys.* lib. 5, cap. 2, quæst. 6, sect. 3 et 4.

(3) *Super lib. 3.^{am} Physicor.* quæst. 1., conclus. 3.^a fin.

(4) *De Generat. et Corrupt.* quæst. 1, art. 3.

(5) *Disputation. in univers. Physiolog.* disp. 48, sect. 1 et 2.

(6) Apud Conimbricenses (loc. nup. cit. quæst. 12, art. 2).

(7) Vide v. g. Pontium (*de Gener. et Corrupt.* disp. 1, quæst. 4),
Mastrichtum (ibid. disp. 3, quæst. 1, num. 3 et disp. 5, quæst. 1, art. 2,
num. 23).

(8) *Metaphys.* disp. 14, sect. 3, num. 27 seqq.; disp. 18, sect. 2,
num. 15 seqq.

(9) *De Gener. et Corrupt.* cap. 4, quæst. 5.

(10) *De Gener. et Corrupt.* lib. 1, quæst. 5.

(11) *Physicor., de Generat. et Corrupt.* controv. 2, punct. 2.

(12) *De Generat. et Corrupt.* disp. 1, sect. 6.

(13) *Physic.* lib. 4, quæst. 1, cap. 3.

(14) *De Gener. et Corrupt.* disp. 1, cap. 1, num. 7.

verior eligitur, esse. Hanc sententiam nos quoque propugnamus in hac altera parte propositionis, quæ jam

et probatur. **Prob. 1.^o** Separabilitas realis est signum evidens distinctionis. Atqui alteratio a generatione separari potest. Non enim repugnat, saltem divinitus, dari ultimam dispositionem, quin sequatur generatio formæ, itemque formam substantialem educi, quin præcesserit alteratio. Ergo... 2.^o Termini essentialiter distincti, specificant actiones essentialiter, atque adeo re distinctas. Atqui alterationis terminus est qualitas, generationis vero substantia. Ergo... 3.^o probatur ad hominem. Nam alteratio, quæ dicitur identificari cum generatione, vel est alteratio, quæ præcedit instans generationis, in quo adest nova forma, vel alteratio ac productio accidentium in eodem instanti posita. «Si primum dicas, alteratio illa non cœexistit formæ substantiali, siquidem juxta Thomistas,» ut mox videbimus, «in instanti novæ generationis pereunt omnia accidentia tempore prævia. Si secundum, accidentia in instanti generationis posita dimanant efficaciter a nova forma juxta Thomistas. Ergo forma est causa eorum. Sed non est causa efficiens productionis sui ipsius. Ergo productio formæ et productio talium accidentium non est eadem actio... Accedit, quod subjectum alterationis apud Thomistas est totum compositum; subjectum autem generationis est materia; tum quia sic docet Aristoteles (1), tum quia sequeretur alioquin totum compositum præsupponi ad generationem sui» (2). Plura dabunt Suarez et alii AA.

Atque hæc videtur etiam fuisse mens Angelici Doctoris: *Si... formæ accidentales, inquit, quæ sunt in rebus corporalibus habent proprias actiones, multo magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem. Non est autem ejusmodi actio disponere materiam, quia hoc fit per alterationem, ad quam sufficienter formæ accidentales. Igitur forma substantialis generantis est principium actionis, ut forma substantialis introducatur in generatum (3).*

(1) *De Gener. et Corrupt.* lib. 1, text. 24.

(2) Lossada (loc. cit. num. 8).

(3) S. Thom. lib. 3.^o *Contr. Gent.* cap. 69. *Item, si agere.*

Dices 1.^o S. Thomas non semel docet generationem esse terminum alterationis (1).—**Resp. dist.:** terminum immediatum et intrinsecum, *neg.*, mediatum et extrinsecum, *conc.* Unde potius hæc difficultas probat assertionem nostram circa mentem Angelici. Primo quia ipsemet S. Doctor explicat in aliis locis, quo sensu generatio est terminus alterationis: *Sicut per alterationem materia disponitur ad formam, et per motum localem corpus luminosum accedit ad situm, in quo illuminat. Et secundum hoc dicitur, quod generatio et corruptio sunt termini alterationis et illuminatio motus localis (2).* Atqui certe illuminatio non est terminus intrinsecus et immediatus motus localis. Ergo nec generatio alterationis. Præterea alibi sæpe duplicem assignat terminum alterationi, alterum ejusdem generis, nempe qualitatem, alterum diversi generis, formam substantialem: *Alteratio habet duos terminos: unum sui generis, scilicet ultimam dispositionem, quæ est necessitas (necessitans?) ad formam, quia alteratio est motus in qualitate; et alium alterius generis, scilicet formam substantialem (3).* Denique alibi S. Doctor simili modo loquendi aperte videtur alterationem a generatione distinguere: *In eodem... instanti, quo primo est dispositio necessitans in materia, forma substantialis inducitur. Cum enim generatio sit terminus alterationis, oportet in eodem instanti alterationem terminari ad dispositionem, quæ est necessitans, et generationem ad formam substantialem. Sed quia alteratio est motus continuus; ideo principium alterationis, et medium, quo materia disponitur ad formam substantialem, tempore præcedunt introductionem formæ substantialis. Ubi quamvis generatio dicatur terminus alterationis, aperte utraque distinguitur per suos terminos intrinsecos.*

Dices 2.^o Hæc quoque S. Thomæ sententia est: *Quia... agens naturale in generatione agit transmutando materiam ad formam, quod quidem fit secundum quod materia primo disponitur ad formam, et tandem consequitur formam, secundum*

(1) Ita v. g. in opusc. *de Natura materie*, cap. 1 et 2; et quest. *de Anima*, art. 12.

(2) *Quodlibet.* 11, art. 4. Idem illustrat S. Doctor eodem exemplo in *Quodlibet.* 7, art. 9.

(3) S. Thom., *Quodlibet.* 7, art. 9. Cfr. *de Verit.*, quest. 9, art. 3.

quod generatio est terminus alterationis; necesse et quod ex parte agentis id, quod immediate agit, sit forma accidentalis correspondens dispositioni materia. Sed oportet, ut forma accidentalis agat in virtute formæ substantialis quasi instrumentum ejus; alias non induceret agendo formam substantialem. Et propter hoc in elementis non apparent aliqua principia actionum, nisi qualitates activæ et passivæ, quæ tamen agunt in virtute formarum substantialium; et propter hoc earum actio terminatur non solum ad dispositiones accidentales, sed etiam ad formas substantiales... Si vero est aliquod agens, quod directe et immediate sua actione producat substantiam, sicut nos dicimus de Deo... hujusmodi agens agit per suam essentiam; et sic non erit in eo aliud activa potentia et ejus essentia (1).—Resp. ex hoc testimonio, ex quo Complutenses (2) rationem fundamentalem desumunt, nihil extendi posse ad ostendendam identitatem alterationis et generationis, ut ratiocinatio S. Doctoris manifeste probat, et brevitatis causa nolo fusius evolere (3).

Vide plura apud laudatos Auctores, ac nominatim apud Eximium Franciscum Suarez, qui etiam ostendit (4) sententiam nostram traditam esse ab Aristotele.

Distinguitur ergo realiter generatio simpliciter vel generatio substantialis ab alteratione: et quidem plures differentie utriusque notari ex Toletis possunt. Primo enim differunt ex parte terminorum ad quos; nam generatio est secundum formam substantialem, alteratio secundum qualitatem. Secundo ex parte terminorum a quibus; alteratio enim est a subjecto seu termino positivo, v. g. ab albo in nigrum, generatio autem formaliter est a non subjecto, vel a non esse, ut jam diximus etiam agendo de triplici specie motus vel mutationis. Tertio differunt ex parte subjecti, quia subjectum, quod alteratione mutari dicitur est, totum compositum ex materia et forma, subjectum autem, quod generatione mutatur, est sola materia. Quarto ex parte subcessionis; nam

(1) S. Thom., quæst. de Anima, art. 12.

(2) De Gener. et Corrupt., disp. 2, quæst. 2, num. 16.

(3) Simili modo nihil omnino probant ad rem evincendam alia loca, quæ adducunt Complutenses ex S. Thoma, 1 p., quæst. 118, art. 2 ad 4.^{um}; 1. 2. quæst. 83, art. 1, ad 3.^{um}, etc.

(4) Loc. cit., num. 16. Cfr. Conimbricenses, loc. cit., art. 2.

alteratio habet latitudinem ac successionem, ideoque tempore mensuratur, at generatio substantialis formaliter sumpta, momento peragitur (1).

355. **Controvertitur porro**, utrum dispositiones præparantes materiam ad susceptionem novæ formæ active vel effective concurrant ad illius educationem, an vero solum materialiter vel in genere causæ materialis. Active concurrere indicant Toletus et Conimbricenses, aliique (2). Sed melius videtur dicendum quod solum materialiter concurrant. Quæ est manifesta doctrina S. Thoma (3), Suarezii, Rubii et aliorum (4).

356. **Est etiam hic quædam controversia** inter Philosophos relate ad ultimam dispositionem, quæ materiam ad novæ formæ receptionem disponit, et hujusmodi formam. Controvertitur nempe, quomodo se habeat altera respectu alterius. Nam Thomistæ putant, ultimam dispositionem ad formam causari a forma, tamquam proprietatem ab ea dimanantem in genere causæ efficientis, eandemque vicissim esse causam formæ, illamque præcedere in genere causæ materialis seu dispositivæ, quæ materiam præparet ad formæ receptionem. Hæc tamen doctrina rejicienda videtur cum communissima Nostratum sententia ex dictis in *Ontologia* contra mutuam prioritatem etiam in diverso genere causæ physicæ (5). Et ratio breviter est, quia si dispositio respectu formæ, v. g. calor respectu formæ ignis educendæ, sit materialis causa, in signo priori ad illam jam intelligi debet disponens actualiter materiam. Ergo vicissim pro priori ad formam, materia calorem recipit, quo ad formam præparetur. Atqui impossibile est in materia esse calorem pro priori ad ejus causam efficientem. Ergo si calor,

Utrum dispositiones prævide active, an vero solum in genere causæ materialis concurrant ad educationem novæ formæ.

Utrum ultima dispositio ad formam causetur ab ipsa forma.

(1) Cardin. Tolet. de Gener. et Corrupt., lib. 1, quæst. 5, ubi hæc aliaque præterea differentie fusius evolvuntur.

(2) Tolet. de Gener. et Corrupt., lib. 1, quæst. 7, Conimbric. ibid. cap. 4, quæst. 18, art. 3.

(3) S. Thom. 1. 2. quæst. 85, art. 1, ad 4.^{um}; de Verit., quæst. 28, art. 7; et art. 8 ad 5.^{um} eorum, quæ in contrarium objiciebantur.

(4) Suarez (Metaph., disp. 14, sect. 3, num. 31), Rubius (de Gener. et Corrupt., cap. 2, tract. 3, quæst. 9).

(5) Vide *Ontologia*, num. 437, pag. 120: seqq.

Notantur differentie inter generationem substantialem et alterationem præcedentem.

ac generatim dispositio, intelligitur pro priori ad formam, non dependet ab illa in genere causæ efficientis tamquam proprietas a nova forma dimanans, quemadmodum contendunt Thomistæ (1). Dicendum itaque est accidentia, quæ disponunt materiam ad novæ formæ receptionem, neque in ipso generationis instanti effici a forma vel per emanationem aut resultantiam, sed effici ab agente extrinseco pro priori ad formam: alioquin non possent materiam prævie disponere. Supposita autem probabili sententia tenente accidentia, quæ materiam ad formam præparant, eadem numero in novo composito permanere, dici potest illa post formæ introductionem ab eadem dimanare vel effici *per modum* conservationis. Sicut enim ipsa forma nova semel educta exigit sui conservationem, quamdiu non adest contraria exigentia robustior, scilicet ob contrariam actionem causarum naturalium; ita eadem forma exigit habere illa accidentia tamquam ornamenta et perfectiones sibi consentaneas ac naturaliter debitas. Et ob eandem causam ultimæ dispositiones vel accidentia materiam ad formæ educationem ultimo præparantia, non quidem in signo priori, in quo formam præeunt, sed in signo posteriori ad formæ introductionem, denominari possunt ejusdem proprietates (2).

357. PROPOSITIO 3.^a **Corpora non generant novam substantiam, quin veterem corrumpant. Hinc manavit effatum illud: GENERATIO UNIUS CORRUPTIO ALTERIUS, ET VICISSIM.**

Corpora non generant novam substantiam, quin veterem corrumpant.

Probatur experientia ipsa et inductione, quia nunquam videmus novum gigni corpus, nisi pereat aliquod aliud. Ratio vero est, quia sicut materia non potest naturaliter esse sine forma, ita nec potest plures simul formas habere. Atqui eatenus corpora novam substantiam generant, quatenus in materiam agendo novam ex ejus potentia educunt formam. Ergo eo ipso quod novum corpus generant, necesse est, ut forma, quæ in eadem materia præcedebat, esse desinat, atque adeo prius corpus corrumpatur. Porro corruptio hæc potest explicari in genere causæ formalis ex naturali

(1) Vide Lossada (*Physic.* tract. 2, disp. 4, cap. 4).

(2) Vide Suarez (*Metaphys.* disp. 18, sect. 3, num. 11 et 12); et Lossada (*Physicor.* loc. nup. cit. cap. 3, num. 10, 11).

repugnancia plurium formarum substantialium in eodem corpore: mox enim, videbimus, corruptionem aut desitionem formæ non posse fieri per positivam actionem vel efficientiam. Cum enim naturaliter nequeant duæ formæ substantiales idem subjectum actuare, si actio, quam corpus aliquod circa aliud exercet, certam formam in hoc naturaliter exigit introducere, Deus nisi miraculum patrare velit, concurreret profecto cum causa secunda ad educationem novæ formæ, et consequenter desinet priorem conservare (1). Quare habebitur generatio unius et corruptio alterius (2). Quamvis autem actio corporis duo hæc obtineat, non tamen eodem pacto tendit ad illa. Generationem nempe *per se* intendit natura tamquam positivum bonum, ad quod actio naturalis corporum dirigitur; corruptionem vero nonnisi per accidens, quia est malum quoddam et non *esse rei* (3). Agens ergo naturale non potest intendere corruptionem unius, nisi quatenus intendit generationem alterius, quæ sine prioris corruptione stare nequit (4). *Agens*, inquam, *naturale*, quia agens liberum, a quo pendet conservatio alicujus actus, potest cessare ab ejus conservatione, quin intendat positionem alterius actus oppositi et impossibilis. Sic actum amoris vel cognitionis libere eliciens, cessat ab eo, etiamsi non ponat actum contrarium.

Explicandum porro est axioma istud, ne perperam intelligatur. Et 1.^o quidem sensus illius non est generationem unius esse formaliter et identice corruptionem alterius. Ratio in promptu est, quia generatio importat mutationem positivam, nempe a *non esse* ad *esse*, corruptio autem mutationem negativam, ab *esse* ad *non esse*. Atqui mutationes hujusmodi

ita tamen, ut generationem intendat per se, corruptionem vero solum per accidens.

Declaratur axioma: Generatio unius corruptio alterius.

(1) Vide P. Oviedo (*Physic.* controv. 8, punct. 3, paragr. 2, num. 16).

(2) Hoc axioma sæpe repetit Aristoteles. Vide v. g. lib. 1 de *Gener. et Corrupt.* cap. 4, text. 17; *Physicor.* lib. 3, cap. 8, text. 73; *Metaphys.* lib. 12, cap. 2, text. 7.

(3) Vide S. Thom., lib. 3.^o *Contr. Gent.* cap. 6, in solut. 3.^a objectionis.

(4) Videndi sunt de hac re Conimbricenses (*de Gener. et Corrupt.* lib. 1, cap. 3 et 4, quæst. 16, art. 4 et 5); Rubius (*Ibid.*, quæst. 2); Complutenses (*Ibid.* disp. 3, quæst. 3). Vide etiam superiora scripta, num. 126. *Objic.* 5.^a; et *Ontolog.* num. 161, pag. 465 seqq.

nequeunt esse unum idemque sive realiter sive formaliter. Ergo corruptio certissime differt a generatione. Rem præclare declarat S. Thomas: *Corruptio et generatio, quamvis semper conjungantur, non tamen sunt idem per se, sed per accidens; quod patet ex earum terminis, ex quibus motus et mutationes specificantur: terminus enim generationis est forma, quia est mutatio ad esse; terminus vero corruptionis est privatio, quia est mutatio ad non esse. Forma autem unius et privatio alterius, ut forma ignis et privatio æris, sunt quidem idem subjecto, sed differunt ratione: et ideo etiam illud, quod corrumpit, et generat, non ex eodem habet, quod generat, et corrumpit; sed ex eo quod formam suam inducit, generat, et sic in quantum ens, generat; ex eo autem quod forma sua necessario conjungitur privationi alterius formæ, corrumpit (1).*

2.^o Axioma illud facit velut sensum causalem: quasi diceretur: *Generatio unius est corruptio alterius*, id est, generatio unius secum fert alterius corruptionem, et econtra. 3.^o Quod porro axiomatis veritatem attinet, distinguendum est inter generationem substantialem et accidentalem. Si agatur de substantiali, ea saltem prout fit a causis naturalibus, absque ulla exceptione semper ansexam habet corruptionem. Quia naturales causæ non generant, nisi agendo circa alia corpora prius existentia in suo esse completo, et activitate sua inducendo novam formam in illis. Atqui nequeunt novam formam inducere, nisi corrumpendo, ac destruendo veterem. Ergo in generatione, saltem prout a causis naturalibus peragitur, aristotelicum axioma nullam patitur exceptionem. Dixi: *saltem prout a causis naturalibus peragitur*; quia si in primo instanti creationis materiæ concedatur, generari compositum educta forma de potentia talis materiæ, generatio hujusmodi certe nullam corruptionem comitem haberet. Cæterum illi, qui plures formas subordinatas in eodem composito ponunt, negant axioma istud locum habere in generatione, quæ fit per introductionem formæ perfectioris, cui alia præcedens imperfectior subordinetur. At vero corruptio substantialis naturaliter loquendo semper habet conjunctam generationem novæ substantiæ, quia materia nunquam potest naturaliter esse

(1) S. Thom., 2.^o dist. 34, quest. 1, art. 2, ad 5.^{um}.

absque forma. 4.^o Si jam sermo sit de accidentali generatione, axioma verum non habet in educatione contrarium carentium. Sic illuminatio seu generatio lucis nihil corrumpit: et simili modo actiones intentionales corruptione carent. In accidentibus etiam contrarium habentibus, si neutrum illorum de necessitate insit subjecto, nec medium, qualia sunt v. g. virtus et vitium in homine, generatio unius non implicat necessario corruptionem alterius. Et ob similem rationem potest dari corruptio accidentis absque novæ formæ accidentalis generatione. Quare aristotelicum axioma in sua universalitate sumptum respicit solum generationem et corruptionem substantialem.

Dices. 1.^o in morte hominis deficere istud principium; quia cum forma ejus sit immortalis non perit, ac proinde productio formæ cadavericæ non importat corruptionem prioris formæ. E converso cum homo alimentum in suam substantiam convertit, datur corruptio formæ alimenti absque novæ formæ generatione; quia nimirum materia illius informatur anima rationali, quæ prius aderat in homine. 2.^o Species sacramentales non continent substantiam panis et vinis. Et nihilominus cum æe ad eum statum ac dispositiones perduntur, sub quibus si adesset vere substantia, corrumpere, ut nova generaretur substantia, datur de facto etiam ejusmodi generatio: in qua proinde verum non habet, quod generatio novæ substantiæ sit corruptio præcedentis.

Resp. ad 1.^{am} Generatio et corruptio possunt dici vel respectu formæ vel respectu compositi. Si denominentur respectu formæ dumtaxat, axioma patitur exceptionem in objectis exemplis; minime autem, si denominatio sumatur, ut rectius sumenda est, per ordinem ad compositum, nam compositum est, quod proprie ac per se generatur. Cadaver enim non generatur, nisi corrupto humano composito; itemque corrupto alimento nova pars substantialis integralis compositi generatur per nutritionem atque augmentationem. 2.^{am} autem quod objiciebatur, nihil probat contra nostram assertionem, quia ibi adest miraculum (1). Cæterum sicut

(1) Vide de his egregie disputantes Toletum (*de Gener. et Corrupt.* lib. 1. quest. 3), Rubium (*ibid.* cap. 3 et 4, tract. 1, quest. 3), Conimbricenses (*ibid.* quest. 17). Cfr. Complutenses (*de Gener. et Corrupt.* disp. 3, quest. 4).

terminus *qui* generationis per se ac proprie est compositum, ita e converso terminus *qui* corruptionis est *non esse* compositi, terminus autem *quo* est *non esse* formæ vel certe unionis.

Cur compositum dicatur per se corrumpi, forma vero per accidens. Definitio corruptionis ac discrimen ab annihilatione.

Unde etiam dicitur, composita per se corrumpi, formas vero corrumpi solum per accidens, videlicet corrupto composito, quod ipsa formaliter constituit.

Verum de hac re plura occurrere posunt dubia, quæ commodius in sequenti articulo declaranda reservamus. Interea nota corruptionem opponi generationi, ac proprie sumptam definiri desitionem rei remanente subjecto; quæ proinde differt ab annihilatione, quæ est desitio rei non remanente subjecto, vel desitio rei in purum nihilum, et opponitur creationi.

358. PROPOSITIO 4.^a Universa corporum generatim activitas comprehendit præter localem motum alterationem, generationem, corruptionem, et conversionem mixtionemque.

Universa corporum activitas generatim comprehendit alterationem, generationem, corruptionem, conversionem et mixtionem.

Hæc propositio non est nisi corollarium eorum, quæ in hoc et in præcedenti capite disputata sunt. Sane ostendimus activitatem corporum non contineri motu dumtaxat locali, sed attribuendas illis esse præterea actiones alias, et primo quidem eas, quæ terminum habent accidentalem, ac designantur nomine alterationis. Unde ex tribus illis speciebus motus, quos superius descripsimus, duæ, nempe alteratio et motus localis, ab omnibus generatim corporibus causari in aliis possunt: tertia vero, augmentatio, propria est dumtaxat viventium, ut videndum est in *Psychologia*. Sed præterea convenit etiam corporibus generatio et corruptio substantialis, quæ prout contingunt ex activitate causarum naturalium, substantialem mutationem implicant, prima quidem a *non esse* ad *esse*, altera e converso ab *esse* ad *non esse* (1).

Describitur conversio.

Conversio porro, quæ etiam corporibus asserenda est, non continet activitatem aliquam a superioribus distinctam. Quemadmodum enim in *Ontologia* notavimus (2),

(1) Plura de generationis et corruptionis ratione videri possunt apud Lossada et veteres auctores.

(2) Num. 246, pag. 701.

conversio est mutatio vel transitus unius rei in aliam, vel ab uno termino positivo ad alium positivum, seu ab *esse* ad *esse*, ut v. g. mutatio ligni in cineres. Quare duplicem mutationem importat, alteram negativam seu corruptivam, qua desinat res, quæ prius erat, v. g. lignum; alteram positivam vel generativam, qua res nova, v. g. cinis, fiat. Unde etiam duplicem terminum a quo habet, ac duplicem ad quem: nempe terminum positivum a quo corruptionis, v. g. *esse* ac formam ligni, et terminum negativum a quo novæ generationis, *non esse* cineris; itemque terminum positivum ad quem generationis, formam et *esse* cineris, et terminum negativum ad quem corruptionis, *non esse* ligni. In usu tamen loquendi ad solos terminos positivos attenditur, et sic dicitur lignum converti, vel mutari in cineres, aquam in vinum, cibum in substantiam aliti, etc. Cum itaque corporea non generent novas substantias, nisi agendo in alia corpora, eaque alterando et corrumpendo ita, ut generatio unius sit corruptio alterius, plane sequitur corporeas generationes rationem conversionis habere. Quare conversio non est sola generatio, nec sola corruptio, sed utramque continet. Cujusque porro conversionis termini dupliciter accipiuntur, ut *formales* et *ut totales*. Termini formales sunt illi, secundum quos præcise fit conversio, nempe forma vetus, quæ recedit, et forma nova, quæ advenit: totales autem sunt res ipsæ adæquate sumptæ, quarum alia in aliam transit. Sic in conversione ligni in cineres termini formales sunt forma ligni et cineris, totales autem lignum ipsum et cinis: et in Sma. Eucharistia termini formales sunt substantia integra panis et vini et Christus Dominus; totales autem aggregatum ex substantia panis et vini cum suis accidentibus et aggregatum ex venerando Corpore Christi Domini et accidentibus eucharisticis.

Termini conversionis accipi possunt ut formales et ut totales.

Conversio substantialis et accidentalis:

Conversio potest esse vel accidentalis vel substantialis, prout versetur inter extrema, quæ sint accidentia, ut inter album et nigrum, vel substantiæ, ut inter lignum et cineres. Dividi etiam potest in formalem et materialem ac totalem. Formalis est ea, in qua uni formæ succedit alia sub eadem materia, qualis est conversio ligni in cinerem: materialis

formalis, materialis ac totalis vel

transsubstantiatio.

foret, si eadem forma divinitus transiret ab una in aliam materiam: totalis demum, in qua tota rei substantia transit in aliam, quæ propterea vocatur *transsubstantiatio*, ejusque exemplum extat in Sma. Eucharistia.

Varie
condiciones
ad conversionem
requiritur:
prima,

Varie requiruntur ad conversionem condiciones. *Prima est*, ut id, quod convertitur, desinat esse: aliis vocibus, requiritur desitio termini *a quo*, saltem secundum complexum et unionem subjecti cum forma. Patet, quia si conversio est transitus unius rei in aliam, oportet, ut res prior jam non sit: secus enim si adhuc permaneat, proprie nequit dici fieri aliam. Non tamen requiritur necessario, ut forma termini totalis *a quo* desinat esse, dummodo unio ejus ad materiam abrumpatur; unde in morte hominis datur conversio ejus in cadaver, quamvis anima non intereat, sed superstes sit dissolutioni unionis animæ cum materia.

secunda,

Secunda est, ut terminus *ad quem* accipiat esse de novo, vel certe modum novum essendi, saltem secundum complexum, ut dicebamus de termino *a quo*. Si enim terminus *ad quem* jam prius eodem modo existebat, nihil causæ erit, cur terminus *a quo* potius in illum, quam in quemlibet alium mutari et converti dicendus sit. Præterea «cum conversio non sit pura desitio rei vel annihilatio, cumque non fiat per solam subtractionem concursus causæ agentis, sed per influxum positivum illius, atque adeo per actionem; consequens est, ut tendat in rem, aliquid ei conferendum, nempe vel esse vel certe novum modum essendi (1). Non autem præcise requiritur, ut forma, quæ sit terminus *ad quem*, de novo fiat; et ideo in nutritione hominis vera datur conversio, quamvis terminus formalis ejus non sit forma de novo producta, sed eadem anima hominis jam prius existens et materiam informans. Dixi terminum *ad quem* in conversione debere accipere novum esse, vel certe novum modum essendi: controvertitur enim inter Doctores, utrum ad veri nomini conversionem requiratur, ut terminus *ad quem* accipiat esse de novo. Ac difficultas fit propter transsubstantiationem, cujus terminus *ad quem* est Corpus Christi Domini jam prius existens in cælo. Affirmant

(1) Conimbricenses, *de Gener. et Corrupt.*, cap. 4, quest. 11, art. 1.

Suarez, Hurtadus, Arriaga, Quiros (1) et alii: qui consequenter putant transsubstantiationem esse actionem de genere suo productivam Corporis Christi. Negant communius alii, ut Vazquez, Turrianus, Valentia, Cardin. Lugo, Conimbricenses, Ovidius, Soarez Lusitanus (2), et alii post Halensem, Scotum, Richardum, Ockam, Capreolum et Paludanum (3). Hi dicunt transsubstantiationem esse actionem constitutivam Corporis Christi sub speciebus, quod proinde accipit novum modum essendi per alligationem ac dependentiam a speciebus sacramentalibus: quamquam Card. Lugo non vult hujusmodi actionem vocare *adductivam*, «tum quia adductio, inquit, solum terminatur ad præsentiam localem, quæ non sufficit ad conversionem istam, quæ sit in ordine ad substandum accidentibus; tum etiam quia adductio sonat Corpus Christi venire per motum localem successivum, transeundo per medium; quod falsum est». Quare inter desitionem termini *a quo* et positionem termini *ad quem* discrimen esse docet Lugo: «nam terminus *a quo* est, qui denominatur conversus, et per consequens desinens in alium; atque adeo ex parte ejus requiritur desitio simpliciter. At vero terminus *ad quem* solum denominatur per conversionem succedens termino *a quo*; ad hoc autem non est necesse, quod de novo incipiat habere esse, sed ad summum quod incipiat esse in illo munere, in quo succedit termino *a quo*» (4). Verum hæc relinquuntur Theologis. *Tertia conversionis conditio est*, ut adsit connexio quædam ac dependentia inter desitionem termini *a quo* et successionem termini *ad quem*, ita ut ille desinat, ut hic subsequatur, quin sufficiat desitionem unius mere

tertiis,

(1) Suarez (*de Eucharist.*, disp. 50), Hurtadus (*de Gener. et Corrupt.*, disp. 1, sect. 4), Arriaga (*de Gener. et Corrupt.*, disp. 1, sect. 3, subsect. 2), Quiros (*Opus. Philos.*, trac. 5, disp. 70, sect. 2, num. 17 seqq.).

(2) Vazquez (*de Eucharist.*, disp. 181, cap. 6), Turrianus (*Opus. theolog.*, opusc. 14, disp. 1), Valent. (*de Eucharist.*, disp. 6, quest. 3, punct. 3), Lugo (*de Eucharist.*, disp. 7, sect. 6; sect. 1, num. 15), Conimbricenses (loc. nup. cit.), Ovidius (*de Gener. et Corrupt.*, controv. 2, punct. 5, num. 10, 11 seqq.), Suarez Lusitanus (*de Gener. et Corrupt.*, disp. 1, sect. 3, num. 45 seqq.).

(3) Apud Suarez (*de Eucharist.*, disp. 50, sect. 2, num. 11).

(4) Lugo (loc. cit., sect. 1, num. 15).

concomitanter se habere cum positione alterius. Idque nomen ipsum *conversionis* sonare videtur; ex communi enim hominum intelligentia, unum transire in aliud, non est unum desinere esse, quando aliud incipit: alioquin si nunc aqua pereat, et vinum creetur, dicitur aquam converti in vinum, quod est ridiculum (1). *Quarta conditio* est, ut in conversione adsit aliquid commune, quod idem perseveret sub utroque termino, et in ordine ad quod uterque terminus repugnet. Ratio est, quia «eo ipso quod unum convertatur in aliud, dicitur unum fieri ex alio, et unum terminum formalem succedere alteri, et poni loco alterius, et supplere vicem illius. Supplere autem debet esse in ordine ad aliquod tertium, cui deset terminus *a quo*, et cui advenit terminus *ad quem* in aliquo munere, quod prior terminus exercebat circa aliquod tertium circa quod idem munus exercebat terminus adveniens, et ratione cujus successionis dicitur hoc secundum esse, quod erat primum...» (2). Et sic videmus in omnibus conversionibus naturalibus; nam in accidentalibus remanet substantia eadem sub utroque termino accidentali, et in substantialibus materia prima, quæ successive transit ab una forma substantiali in aliam. At in Sanctissima Eucharistia sub iisdem accidentibus versatur, ac demonstratur prius panis ac vini substantia, mox Corpus Domini nostri Jesu Christi ex efficacia verborum consecrationis. Verum hactenus de his: plura dabunt veteres auctores, ac nominatim ii, quos superius laudavimus.

De mixtione denique nihil remanet hic addendum, cum alibi satis probata et descripta maneat (3).

(1) Utrum autem connexio hæc debeat esse physica et ex natura rei, an vero sufficiat connexio extrinseca ex fine et intentione operantis, nolentis ponere unum nisi destruendo aliud, vide, si vis, apud veteres Doctores.

(2) Lugo loc. cit. sect. 1, num. 8, ubi plura require.

(3) Vide supra, num. 135 seqq., a pag. 474; et num. 147, pag. 553.

ARTICULUS III.

Enodantur quedam dubia circa præcedentem materiam.

Quæ hactenus disputata sunt de corporea activitate, dubitationes quasdam excitare in mente possunt, quas operæ pretium esse existimo ad materiæ complementum, breviter discutere. Et primo quidem dubitatur

§ I.—UTRUM CORRUPTIO, QUÆ IN GENERATIONE NOVÆ SUBSTANTIÆ INTERVENIT, NATURALIS DICENDA SIT.

359. Ad solutionem questionis notandum est, primo naturale sumi posse trifariam: α) prout opponitur artificiali et supernaturali; β) prout importat appetitum et inclinationem naturalem, quo pacto materiæ naturalis est forma aliqua; γ) pro eo quod consentaneum est rei, vel naturam ejus sequitur, utcumque se ad illam habeat. Notandum deinde, corruptionem posse comparari vel cum materia, quæ est ejus subjectum vel cum forma et composito, quæ sunt terminus *a quo*. Itaque sumpta voce in primo sensu, certum est corruptionem esse naturalem. Si vero secundo modo sumatur naturale, corruptio est naturalis respectu materiæ, non tamen respectu formæ nec respectu compositi. Primum patet, quia materia naturaliter appetit quamlibet formam, quia ex se non habet minorem proportionem cum una, quam cum alia. Ergo habens unam, potest naturaliter recipere aliam, atque adeo appetere illam. Sed non potest ullo modo recipere nec appetere aliam nisi corrupta priori. Ergo corruptio formæ naturalis est materiæ ex inclinatione et appetitu materiæ. Alterum etiam probatur. Quia corruptio tendit per se ad non esse formæ et compositi. Atqui nihil inclinatur ad non esse sui, sed potius appetit naturaliter esse et conservationem suæ existentie, nam esse est bonum rei, malum vero non esse. Denique sumendo naturale in tertia significatione pro eo, quod sequitur naturam alicujus, vel est consentaneum ei, corruptio naturalis dicenda est tum relate ad compositum, tum relate ad formam, tum relate ad materiam. *Relate ad compositum*; quia compositum coalescit

Utrum corruptio, que in nove substantie generatione intervenit, naturalis dicenda sit.